DE FUMATIONE HERBAE NICOTIANAE RESPECTU DIAETETICO-MEDICO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU et AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS

NEC NON

CLARISSIMORUM DD. PROFESSORUM

INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE

IN ALMA

AC CELEBERRIMA REGIA SCIENT.

UNIVERSITATE PESTHANA

PRO

RITE OBTINENDO

MEDICINAE DOCTORIS GRADU

PUBLICAE DISQUISITIONI

SUBMITTIT

Marcus Zuckerkandel,

GALICIANO-ZLOCZÓWIENSIS.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis minori die Febr. 1843.

PESTINI.

TYPIS JOSEPHI BEIMEL.

Receptae consvetudines temere non abrogandae, sed lenta tantum festinatione sunt deponendae.

C. Frid. Tempel.

Der erhabenste Beruf des Menschen bleibt doch der: Priester der heiligen Flamme des Lebens und Verwalter der höchsten Gaben Gottes, und der geheimsten Kräfte der Natur für das Menschengeschlecht zu sein, das heißt Arzt zu sein.

Hufeland.

Historia fumationis.

Nicotiana Tabacum (Germ. Tabak Hung. dohány, Gall. tabac) planta Americae meridionalis, in Europa culta, nunc totius terrae incola, apud nos annua, in America perennis (ad pentandr. monogyn. L. ad Solaneas I. pertinens) respectu diaetetico et medico celebrata; imprimis respectu priori forma fumationis, sternutatorii, masticatorii per universum orbem in usum et abusum trahitur.

Cum Hispani primo novam terram petiissent, nicotianam ab inquilinis in usum vocari quidem experiebantur, ast applicatio eius magis restricta, tantum qua remedium efficax in impetiginibus conservabatur. Incolae Americae nominabant nicotianam Petum, Hispani Tabaco, quia monachus Hispanus Pane hanc plantam 1496 in Domingo et provincia Tabaco primario cognovit, et ab eo tempore eius civitatis ius obtinuit.

In exordio sacerdotes fumum nicotianae inspirabant, sub certis rerum adjunctis in peculiaribus ceremoniis religiosis, diebus sacris et festivis, ad effatum aliquod memorabile eru-

*

endum, futura vaticinanda, ad omen malum avertendum, ut fumo narcotico inebriati facultates mentis incitentur, cerebri functio exaltetur, quod fini praefixo saepius respondere potuit. Inspiratio fumi, nares faucesque vellicantis, paulo post perplures nacta est imitatores, ita ut in patria ipsa usus eius mox super totum populum diffunderetur. Inductioni eius in Europa magna et gravia obstabant impedimenta, partim ob stimulum inconsuetum, quem fumus hic excitabat, partim ob malam eius praeparationem, nam moderatus etiam usus anxietatem, exstimulationem et ebrietatem vertiginem excitabat ita ut tabaca unanimi consensu qua venenum periculosum declararetur. Ideam hanc non tantum in Europa verum etiam in Persia, Turcia concipiebant, et illi qui nicotianae alium, ac medicamenti usum fecisset, amputationem nasi, quin imo paenam mortis minabantur. Circa 1560 conabatur ablegatus gallorum Jean Nicot (unde nicotiana) usum diaeteticum nicotianae inducere, et redux Hispania reginae Mariae de Medicis exiguam quantitatem Tabacae pulverisatae dono obtulit, et ab eo tempore nomen poudre à la reine se conservat. Gallia non multo post usum nicotianae diaeteticum sub magno tantum vectigali concessit, ast mox alii status lucri cupidine seducti invectionem tabacae et venditionem eius sub certis conditionibus admiserunt, sicque factum, ut planta haec alacri passu in toto orbe terrarum seminata, culta, ususque eius de die in diem ingravescat. Ante fumationem Europeis nimis molestam, pulveris tabacae naribus attractio consveta fuit. Fumigationem anglus Raphelengi in Virginia didicisse, atque Europeis comunicasse perhibetur. —

Quod fumationem attinet, haec tam alacri passu brevi tempore per totum orbem disseminata fuit, ut nullus articulus luxus majori celeritate propagationis gloriari possit. Prima fumatio sat molesta fuit, vas aliquod amplum tubo provisum tabaca repletum accenditur, serius exsurgit appara-

tus proprius qui ad hodiernum diem semet conservavit modificatinibus infinitis, cum autem apparatus ille partim innumeris defectibus laboraret, partim ob pecuniae parsimoniam ab omni et singulo praesto haberi non potuisset, exsurgit modus nicotianam in substantia, h. e, in formam cylindraceam convolutam — *Cigarro* — fumandi, ita ut mos e fistulis et cylindros fumandi; eodem fere tempore eadem celeritate ex America Hispaniam, inde Germaniam mignaret —

Phytographia.

Planta haec folia gerit ovato lanceolata magna integerrima nervosa subundulata, laete viridis glutinosa, utrinque pilosa, sicca ex flavo viridis, caulis est herbacens perpendicularis, tres-quinque pollices altus tomentosus; inflorescentia pallide rubra, calix monophyllus, tubulosus, quinquepartitus permanens; corolla rosaceo rubra, infundibuliformis, stamina quinque corollae adnexa, fructus fuscus, oblongo ovatus capsularis, quadriseptatus, quatuor valvis dehiscens, polyspermus. Semina fusco reniformia parva placentae adfixa. Folia siccata sunt fusco-flava in statu recenti odoris virosi, saporis acris, amari nauseosi.

Partes constitnentes: secundum Hermbstaedt sunt: nicotina efficaciae mater. Est autem *nicotîna* oleum aethereum concretum proprietatibus Camphorae accedens, crystallisabile, facile volatile, odoris aromatici tabacae mixti, saporis parum amari, aqua non, spiritu vini et aetheribus facile solubile, naribus admotum sternutationem excitat, ad granum interne absumtum vertiginem animi deliquium vomituritiones facessit porro principium extractivum, gummi resina, albumen vegetabile, substantia vegetabili — animalis, albumini similis acidum malicum, et sales complures.

Proprietates pharmacodynamicae.

Actione hujus plantae symptomata duplicis generis a narcoticis, et acribus induci solita se manifestant, ita ut una super aliam imperium haud teneat. Virtute sua acri sphaeram vegetativam organismi, imprimis systema lymphaticum organa muci secretioni dicata, et organa uropoetica, minus cutem externam afficit; itaque secretionem et resorptionem promovendo solventis intensi instar operatur. Principio suo narcotico (nicotina) systemati nervoso insidias struit; Memorabile phaenomenon a *Hertvig* et aliis observatum est, quod vitalitatem cordis et arteriarum adeo deprimat, ut intra min. ad 38, usque 27 pulsus restricti fuerint, respiratio tarda et laboriosa evaserit, anxietas in praecordiis cum propensione in animi deliquium alternaverint, musculorum torpor ad apresim accedens ortus fuerit. Ex his itaque patet, actionem nicotianae inimicam, in medullam imprimis spinalem directam esse, et in specie in partem eius motui dicatam.

Mutationes, quas nicotiana interne absumta provocat, sunt animi deliquia, vomiturítiones quin imo ipse vomitus, ardor in faucibus et ventriculo, colica, diarrhoea augmentum secretionis renalis, vertigo intensa, pectoris oppressio et anxietas cum propensione in animi deliquium; pallor faciei, frigus extremitatum, tremor spasmodicus, parvus debilis tremulus intermittens, pulsus, paralysis musculorum voluntariorum, spasmi clonici artuum, quin imo mors per apoplexiam.

Nicotiana quacunque via organismo inferatur, noxas enumeratas inducit, celerrime, si organis circulationis per infusionem communicetur, proxime per injectionem in bronchia, per superficiem vulneratam, vel exulceratam, per inspirationem et per injectionem in anum forma fumi.

Et certe summopere mirari licet, quomodo vegetabile, in exordio summe detestatum, venenum periculosum, consvetudine objectum individualis necessitatis fiat, cuius abstinentia hominem ad eadem patranda facinora, ac defectus alimentorum invitat; et hoc non tantum de cultis verum et de barbaris valet nationibus; hinc videmus, consvetudinem inveteratam, mala gravissima elidere, hominisque alteram evadere naturam.

Ut bonam et adversam nicotianae tabacae partem exactius perspiciamus lustrare hic optimo loco erit, circumstantias et adjuncta sub quibus, si tabacae usum diaeteticum instituere praeplacet, eam citra minimum sanitatis detrimentum adsveti perferre poterunt; praescindendo a contranaturali stimulo, qui certe hominem ad sugibulum arripiendum minus invitat, ac neonatum ad papillam mammae capiendam, et altum tenens silentium de consvetudine mala de die in diem magis magisque ingravescente, hac occasione maxime mihi incumbet eruere contraindicationes, quibus neglectis serius ociusve sanitatis labes variaque consectaria arti rebellia inducentur.

Supra memoratae sequelae a nicotiana serius ociusve caput efferent pro diversa specie bonitatis tabacae, pro diversa eius aetate. pro diversa hominis constitutione vitae ratione, diverso diei tempore quo tabacam capimus, denique pro varia ratione et modo applicationis.

I. *Quod bonitatem attinet:* haec non tantum a solo et climate verum etiam a diversa eius praeparatione dependet. Bona nicotiana crescit in solo arenoso et laxo, optimae tamen qualitatis in America, utut non nullae varietates Europam, in specie Hollandiam non respuant. Sit herba matura, quae dignoscitur ex maculis et punctis flavis hinc inde occurren-

tibus ex ariditate foliorum; leguntur primo infima, serius media, ultimo summitatem occupantia, interjecto diverso temporis intervallo, ob diversam earum maturationem. Folia in fasciculos collecta incalescunt, sudant, quem processum sustentare expediti tandem siccantur singilatim, ad dolium locantur, solutione salis communis consperguntur, per aliquot annos conservantur.

Antequam nicotiana in usum communem impenditur, variis modis praeparatur, ex quibus maceratio nostram meretur attentionem.

Scopus macerationis est, nicotianae odorem et saporem acrem et nauseosum corrigere, eam conservabiliorem reddere, et qualitatem ei conciliare, ut absque flamma conflagret, vel ut resolutio et fermentatio impediatur — Bonae qualitatis herba colorem ab eo plantae siccatae multum differentem non habeat, nec sit coloris rubroflavi aut lacte flavi, aut sulfurei, aut nigri; puncta metallica micantia non ostendat, absit ab ea odor balsamicus, aut resinosus, tritus linteamine albo mundo nulla relinguat vestigia alicujus coloris — sub combustione non detonet, nec scintillas eliciat, sed aequabiliter conflagret. Sub fumatione non excitet nauseam, vertiginem anxietatem, absit ab ea sensus ustionis aut punctionis in lingua sapor dulcis, quam maxime vero metallico — dulcis; nec sub fumatione nec masticatione linguam sapore amaro aut nauseoso afficiat, tracheam non constringat, imo per nares expulsus fumus sternutationem nec assvetis moveat. Quo subtilior, albior, levior, nominatim — in Cigarris — quo cohaerentior cinis, quam nicotiana sub conflagratione relinquit, eo melior species, etiamsi haec qualitas non semper bonitatem, maturitatem foliorum certo testabitur. Fumus flagrantis nicotianae debet esse caeruleo albus non sit cretaceo albus, aut nigro fuliginosus nec oculos in lacrimatio-

nem conjiciat. Nicotiana nervis spoliata levior sanitatique minus infensa est, quam costata; grosso modo concisa, quatenus lentius conflagrat, sanitatem minus laedit, ac tenuem in modum comminuta, citius urens.

Quod macerationem attinet, nonnulli ejus modi innocui sapori, odorique adulantur, sanitati insidias haud struunt, v. c. maceratio malae speciei cum decocto coffeae, complures autem valetudini infensi vitam etiam praecipites agunt. Magnis saepe premitur difficultatibus diversas tabacae macerationes et vulgo *sauceen*, quas communiter scopo meliorandi olfactus et gustatus adhibent, detegendi. Communiter constant ex salibus alcalinis et metallicis, sale ammoniaco, urina, nitro, mercurio sublimato. Sales alcalini et ammoniacum in nicotiana facile deteguntur; nam decoctum eius chartam Fernambuk violaceo, chartam exploratoriam curcumae fusco signat colore; decrepitatio intensa insignem nitri notat quantitatem admixtam. Sulfur, plumbum cuprum, alumen etc. excepto ultimo liquore probatorio Hahnemani, aliisque notis reagentibus innotescunt.

Innocuae adulterationes nicotianae sunt: folia betonicae, juglandis regiae, meliloti officinalis, Tiliae, tussilaginis farfarae, vaccinii myrtilli, rosae centifoliae, heliotropi, cerasi nigri et rubri, herba solani tuberosi.

Summe noxia vero est admixtio foliorum Bella donnae; Hyosciami, strammonii, opii, herbae ledi palustris. Ut nicotianae odorem ab exotico non abludentem concilient, principia quaedam tinctoria mercatores praesto habent, quae plus minusve nocent: argilla rubra, haematites s. oxydum ferri flavum et rubrum, bolus, pulvis tegularum ustarum, creta, fuligo (Kienruß.) Magis noxia sunt: cinnabaris sulfur, atramentum, auripigmentum, lignum campechianum, an-

timonium, vitriolum ferri. Sequelae hujus adulterationis sunt intoxicatio, quae vario modo pro diverso atrio, in quod nicotiana suscipitur contingit; sub fumatione imprimis organa respirationis lingua nares afficiuntur, venena videlicet haec calore volatilisata, in organa dicta recipiuntur; masticatione salivae oris mixta, soluta, absorbentur, vel plane cum eadem deglutiuntur. Ex his respectibus nicotiana quocunque demum titulo, quacunque forma adhibita sanitati insidiari debet. Status bene organisatus respectu medico politico, fabricatores sub vigili oculo habebit, ut eiusmodi adulterationibus frena arcta ponantur —

II. *Quod aetatem hominum, usum nicotianae capientium attinet,* plantam supra descriptam necessitudinibus humanis non tantum non convenire, sed iisdem plane contrariam esse sanitatemque ejus usu periclitari, omnis perspiciet. Ad luxum pertinet cui proh dolor! homines, sicut et aliis inanibus et fucis facillime assvescunt, consvetudinique semel inductae libenter indulgent. Effectum primarium exserit in cavo oris, secretionem salivae auget, fluidum videlicet ad digestionem necessarium, dispenditur hac ratione chylificatio, assimilatio et nutritio turbantur; porro debilitat et in statum paralytico accedentem conjicit organa digestionis, sensum olfactus, gustatus, et visus vi sua narcotica.

Usus nicotianae imprimis aetati puerili et juvenili severe interdicatur, hac enim aetatis periodo evolutio corporis universim perficitur, imprimis sensus laetissima capiunt incrementa. Et experientia quotiadana edocemur, periodo vitae maxime activa activitatem vitae omnem subrui incrementum detineri, atque maciem hallucinationesque sensuum induci. Si itaque non succedit generationem nostram adultam a convetudine altam in organismo radicem iam figente revocare, adminus omni virium intentione conari oportet, ut ju-

ventutem immaturam ab hoc malo quo ocius avellamus. Proh dolor! non inconsvetum est, videre pueros in plateis cum cigarro oberrare. Cur non miranmur, juventuten nostram semper debilitari, enervari, pracmaturamque senectam adduci? Causa certe in nos redundat, estque educatio mollis spreta moralitate, libido, illecebrae sensuum, speciatim hac aetate non satis damnanda fumatio. Ast vitium raro solitarium, frequenter aliis sociatum incedit, unumque alio amicas porrigit manus. Fumatione cavum oris siccius redditur, sitis incitatur, aqua vero et lac siti huic narcoticae fallendo minime respondent, hinc juventus praemature in potibus spiritnosis refugium quaerit. Effectus itaque fumationis in juventute est dispendium temporis, vis, sanitatis et — pecuniae. Educatoribus itaque, moderatoribus, parentibusque non satis inculcandum, ut filiolos suos a consvetudine perniciosa fumum nicotianae sugendi desvefaciant, ne hac ratione evolutio physica et psychica in summa activitate constituta obruatur, systematisque nervosi vis et alacritas pessumdetur; hoc vero tunc tantum impediri poterit, si in educatione lumen rationis super malas irradicatas consvetudines victoriam reportaverit — Si tabaca hominibus concedatur, tantum aetati virili utpote summa virium physicarum et psychicarum perfectione praeditae convenire potest; non reticendum tamen, eam in abusum tractam, mala supra enumerata varium in gradum inducere. Nam etiam post plenariam organismi evolutionem, excedens fumatio nociva esse debet ob cum fumatione continuo conjunctam majorem irritationem membranae mucosae cavi oris, quae successive ulterius dominium suum propagando, organa respirationis digestionis lacessit etc. — Senectuti quoque herbam hanc non convenire, cuique patebit; nam aetate hac et vita psychica et physica ex sua perfectione sensim sensimque deperduut, congestiones versus caput praesentes per immoderatum nicotianae usum adhuc magis sustentantur, sicque vis nerveae per excessivum stimulum

exhaustionem sequi debere neminem fugiet. Cum itaque senectuti fumatio ex dictis respectibus non competat, et a consvetudine per amplam annorum seriem inducta, aegre recedat, fumationem ad unam fistulam restringat. Multi insto praetendunt, fumationem et masticationem tabacae, dentibus nimis infensam esse, in specie autem cariem dentium inducere. Cum ex actione supra dilucidata pateat, eam narcotinorum instar organa digestionis debilitare, cariemque dentium ab organis digestionis debilitatis plerumque originem suam repetere, asserto dicto magnus accedit valor, utut non rarum sit, videre fumatores solertissimos, aetate tali, ubi dentes excidere solent, dentibus sanissimis instructos. A ratione non abhorret, quod in organis digestionis secus debilitatis, fumatio cariem dentium acceleret; possibile quin imo probabile quod fumigatio aetate juniori, ubi organa digestionis in pleno gradu evolutionis nondum constituuntur, cariem, maturamque dentium excisionem inducat. Memoratu dignum, quod in morbis, nominatim febrilibus, adpetentia fumationis in hominibus huic consetudini iam dudum libantibus, non secus ac desiderium cibi potusque, prostrata sit. Reversio appetentiae alimentorum, desiderium quoque fumationis involvit, et sicut ex appetitu vigente vel infracto ad sanitatem bene procedentem legitima conclusio, ita quoque ex avida nubis densae at tractione et expulsione ad functiones rite procedentes arguimus. Itaque convalescenti fistulam avide cupienti in plerisque casibus, non secus ac potum et cibum non abnegemus. —

III. *Quod constitutionem fumantis attinet.* Usus nicotianae hominibus firmae valetudinis, validae constiutionis, sanis vegetis, nulla manifesta diathesi, speciatim organorum respirationis insructis minus nocebit. Individuis vero quae vel minimum in respiratione impedimentum persentiunt, sive hoc fiat ex deformitate thoracis vel structura vitiata otius pectoris, dispositione ad phthisim hinc pullulante, sive

malis asthmaticis obnoxii sint, aut quod pulmo ipse fomite aliquo morboso actu laboret; fumatio cane, angueque pejus vitanda. Nam praescindendo a noxia qualitate fumi narcotico-acris, nervos organorum respirationis membranamque mucosam aegre afficientis, ipse processus suctionis, qui sub fumatione locum habet, pulmones nimiopere irritat, majorem ad eos sanguinis adfluxum sollicitat, tussim frequentem respirationísque difficultatem concitat, quae omnia fomitem morbosum secus latitantem ad plenam maturitatem sensim sensimque perducunt. Hominibus in mucositatem proclivibus, febri mucosa laborantibus usus nicotianae interdicendus. E contrario constitutionibus fibra rigida insignitis atque in huius sequelam obstructionibus constipationibusque laborantibus, fistula tabacae per diem eggregiam praestabit utilitatem, Caveant homines constitutionis debilioris, in maciem inclinantes ab usu diaetetico huius plantae, e contra individuis obesis in adipositatem proclivibus, ex supra fatis momentis libentius cocedatur. —

IV. *Quod vitae rationem concernit.* Haec certe ad decidendam litem, an individuo huic vel illi usus nicotianae citra sanitatis detrimentum concedi vel denegari poterit, maximi momenti est. Homini vitam laboriosam, somaticis tàntum occupationibus intento ducenti, in aere puro libero rurali dies noctesque agenti, victui simplicissimo laute tamen nutrienti assveto, prae alio citra manifestam sanitatis labefactationem fumatio indulgeri poterit, quin imo in atmosphaera humido-frigida, nebulosa, paludosa eggregium ad arcendos nonnullos morbos constituet prophylacticum. E contra hominibus ad spatium angustum quatuor parietibus limitatum reclusis ubi aer exhalationibus diversae originis scatet, illiusque renovatio aegre succedit, minime conducet fumus nicotianae. Et recte eruditi, scribae, opifices aliique vitam sedentariam ducentes, hac consvetudine detinentur. In iis qui quatuor pa

rietibus recluduntur, adhuc aliae adsunt circumstantiae influxum noxium in organismum exercentes. Aer enim in cubili reclusus per subtractionem principii vitalis corrumpitur, oxygenium quippe imminuitur, gas acidi carbonici et azoi copia augetur; accedente nunc fumo intenso nicotianae aer adhuc magis inquinatus, corrumpitur atque ad respirationem perficiendam ineptus redditur. Gas irrespirabilia activitatem pulmonum exhauriunt. Nam pulmonibus inest stimulus peculiaris ad appetendum aerem atmosphaericum, seu fames ad capiendum aerem, non secus ac ventriculo inest sensus ad appetendos cibos; necessitas vero aerem attrahendi in pulmonibus ita intensa est, ut huic quacunque demum ratione satisfacere conemur, consequenter aerem etiam mephiticum, corruptum fumo inquinatum attrahunt. Ast pulmones non secus ac ventriculus *neusea* sua laborant, et ideo symptomata inde *orta* in effectibus suis satis conveniunt. Pulmones itaque ex tali aere partes tantum summe necessarias assumunt, libera eorum evolutio impeditur, volumen eorum proxime restringitur, et in huius sequelam textura rigidior et firmior evadit (hepatisatio pulmonum) oritur, vis itaque organica sensim sensimque contabescit, et morbi proprii, qui non secus ac phthisis pulmonalis summo vitae minantur periculo caput extollunt. Omnia haec eruditis, scribis et opificibus, qui utique in affectiones organorum respirationis quam plurimum inclinant, facillime contingunt (partim ob vitam sedentariam cum eaque conjunctum situm violentum compressum, artuum positionem praeternaturalem) et, quidem eo certius, si aerem laboratorii utique variis exhalationibus inquinatum, adhuc fumo nicotianae repleverint. Huic itaque vitae conditioni fumatio adminus in laboratoriis suis minime respondet. Nicotiana adhuc ex alio respectu eruditis damnanda, quia etiam in hominibus huic stimulo jam assvetis cerebrum excitatur; qui itaque facultates mentales intendit, illius utique cerebrum in statum irritationis et exaltationis conjicitur, accedente

nunc stimulo artificiali, ad quem nicotianam iure merito relegamus hunc veneni positivi instar agere h. e. cerebrum in statum hypersthenicum, seu inicitationis exaltatae conjici debere, huius autem sequelas encephali celeriorem consumtionem et paralysim seu torporem facultatum mentalium comites habere neminem latebit. Aliud adhuc motivum cur juventuti imprimis studiosae usum nicotianae subtrahamus est, vita sedentaria cum eademque necessario conjuncta, organorum digestionis debilitas. Herbam hanc inimica ratione organa digestionis afficere, antequam effectus ulteriores quos nicotiana in organismum humanum excerit, nobis inotescerent, perspeximus. Effectus hic non immediate manifestus fit, sed sub dolo modo et lente tantum vi organorum digerentium insidiatur. Quantis periculis minetur tenerae in evolutione progressiva detentae juventuti, ex supra dictis cuique illucescet.— Denique fumus nicotianae organo organismi nobilissimo utpote visui summe infensus est; cum vita enim sedentaria functio visus communiter intenditur, oculusque in statum nimiae incitationis conjicitur, fumus litteras oculumque intercedens irritationem et cogestiones auget (quod fumatores in frequenti lacrymatione, oculorum obnubilatione sat frequenter experiuntur) hac ratione functionem visus sensim pessumdari, debilitari, sicque amaurosim, cataractam invitari experientiae quotidianae non refragatur, hinc minime miramur, cataractam Hungariae flagellum exitiale esse. Hi sunt effectus irritationis exaltatae, luxus enervantis, depravataeque consvetudinis. His malis large diffusis cum debilitatibus et paraesibus tam corporis quam mentis saepe terminandis, nihil magis opitulatur, quam vitae ratio legibus naturae conformis.

V. *Quod denique diei tempus, quo usum nicotianae citra minimum sanitatis detrimentum capere licet attinet.* Fumationi maxime respondent intermediae diei horae — bene memores

effectus universalis nicotianae, quacunque demum forma adhibitae — narcotico stimulantis. Mane jeiuno stomacho caveamus vel fumare, vel masticare, aut pulverem naribus attrahere. Primum et secundum non, ideo, quia ventriculus jejunus ut in activitate constituatur et maneat, excitationem aliquam materierum subigendarum et digerendarum ingestione tantum explendam exigit et exigere debet, si vires organorum digestionis in debito tenore conservare volumus. Fumator incarnatus utique primum dum oculos aperit fistulam suam quaerit, huicque stimulo ita assvetus ut, si hic illi subtrahatur, consectaria periculosa post se trahere possit. — Ante decubitum aut vespera sera aut plane in ipso lecto fumatio interdicenda. Ex actione enim plantae huius supradescriptae patet, eam intensam excitationem sensuum et cerebri comitem habere, hac ratione somnus pacatus et salutaris ad vires interdiu detritas restaurandas turbatur; et si consvetudine tales turbae elidantur, sensibusque minus pateant, lapsu tamen temporis nocere, consectariaque mala post se trahere debent. Neque post sumtum prandium fumatio conducit. Multi huic consvetudini perniciosae indulgent, asserentes, nicotianam digestionem promovere, motumque peristalticum ventriculi incitare, licet sub eius usu vertigine, sensu inamoeno anxietatis afficiantur. Ast falso ex principio; nam ventriculus post assumta alimenta utique in maiori activitate costitutus per tale aditamentum adhuc intensius incitatur, non absimili modo, ac si aromatica, potusque spirituosi qua bellaria ei oblata essent; stimulorum autem abusum debilitatem excipere, neminem latebit. Horis itaque mediis ante meridiem et postprandium usus nicotianae minimis stipatur consectariis.

VI. *Ratio, modusque quo nicotiana adhibetur.* Varium in modum, nicotianam usurpant, aliqui fumant, nonulli eam masticant, magna pars pulverem naribus attrahit. Cum ta-

men obiectum meum sit fumatio, reliquos modos brevibus attingam.

Masticatio tabacae in humido-frigida atmosphaera in alto mari suas potest habere praerogativas. Nonnulli praetendunt eam esse plane eximium prophylacticum contra morbum maritimum et scorbutum. Ast qualitates hae magis precariae sunt; nicotiana membranam mucosam cavi oris stimulando, secretionem uberiorem, humorumque dispendium post se trahit; porro saliva principio narcotico scatens deglutita, et in ventriculum delata in non assvetis vomitum, tremores, omniaque supra enumerata phoenomena inviare potest. Membrana mucosa linguae cavique oris per continuatum nicotianae stimulum in paresim conjicitur, gustatus debilitatur, et in hujus sequelam digestio patitur.

Ex speciebus ad fumationem quam maxime qualificatis memorari merentur: 1-o *Varinas*, sapore amoeno, odoreque subtili, aromatico insignita ast nimis stimulat. 2-o *Virginia*, eximiae quidem bonitatis, ast nimis narcotica. 3-o *Portoriko*, *Oronoko*, *Logayea* et *Brasiliaca* herba, ad nobilissimas et carissimas pertinent species, suntque insignis efficaciae. 4-o *Turcica*, amoeno gaudet aromate, linguam minus afficit, insigniter inebriat. 5-o *Hungarica*, *Polonica* acris est, insigniter narcotica, Species viliores sunt *Norinbergensis*, *Hanauer*, species plures plerumpue in Germania septemtrionali coluntur. Hungaricae species praecipuae sunt: *Lettinger*, *Csetneker*, *Verpéleter*, *Debröer* — Miscelam bonam largitur una-pars Portorico cum duabus Varinas. Odor saporque omnis speciei nicotianae insigniter emendatur per humectationem cum decocto coffae.

Si effectus a nicotiana induci solitos colligamus et rite perpendamus; actionem huius plantae cum ea potuum spiri-

tuosorum in multis concordare expriemur, consectaria tumque deducimus, homines huic consvetudini indulgentes multo citius succumbere, quam usui potum spirituosorum. Memorabile, quod fumator consvetudinarius, omnibus effectibus nicotianae succumbat, si aliam speciem quam assveverat fumet. Sunt homines fumationi cylindrorum bonae et intensae qualitatis asveti, qui musculorum distorionibus afficiuntur, dum aliam leviorem degustant speciem non assuetam. Hinc patet opinionem Dris. Sachs nicotianam sanitati indifferentem esse asserens, summe erroneam esse.

Quod fistularum usum attinet. Praeter noxas gernerales supra enumeratas ab usu nicotianae haud revellendas, sanitatem adhuc in periculum adducere poterit mala inconveniens qualitas, immunditiesque fistularum. Quod qualitatem fistularum attinet. Parantur, hae ex diversissima materia; consvetae sunt, argillaceae, ligneae et ex spuma maris; obducuntur interne lamina stannea, plumbea cuprea, ferrea; muniuntur cupro aurichalco, argento etc. Ast metalla haec tabaco oxydantur-oriunturque sales plumbei, aerugo, sanitati perniciosi. Similia minantur pericula dum homines insano consilio fistulas receptaculo plumbeo (fine mucum ex tubo et fistula defluentem colligendi (vulgo Abgüsse) provisas usitant. Sugibula quoque malis nonnullis ansam dant. Sic dum massae firmae solidae non vero appendici elasticae insident, sub motu improviso v. c. sub lubricatione, equitatione graves nonnunquam excitant laesiones. Sugibulis denique iam usuatis quoties non contagia in specie syphiliticum aliis comunicatum, evolutionique ulceris syphilitici ansa data? Fumatori cuilibet incumbet, ut fistulam suam frequenter mundet in quem finem proprii etiam excogitati sunt apparatus. Relative minimum nocet fumatio ex fistulis porcellaneis aut argillaceis, intus nulla materia peregrina obductis, tubo amplo longo provisis, qui in extremo apicem elasticum teneat. Fistulae e spuma maris confectae dum recentes sunt, in oleo coctae, vertiginem nauseam, pectoris affectiones provocant. Omnibus tamen fistulis sic dictae hollandicae, argilla optima constantes, palmam praeripiunt. —

Quod fumationem cylindrorum seu sic dictorum — *Cigarro* — attinet. Horum usus est adhuc magis limitandus, ac is

fistularum hic enim utriusque generis mala utpote: *fumationis masticationis* conjuncta occurrunt, ni cigarro ex apice duro corneo etc. fumigetur, fumus calidior in cavum oris pervenit, ac ex fistula longa denique oculi ob fumi majorem vicinitatem multo plus patiuntur, quod quilibet in se ipso quotidie experiri potest. Habita insuper ratione modi praeparationis cylindrorum (cum praetendant, cigarro. Havannae a mancipiis confici, videlicet nicotianam in eorum femoribus, frequentissime malignis ulceribus obsessis, convolvi, et omnem in casum saliva fabricatoris plús minus humectari) si memoremus notabile pecuniae dispendium, quo hanc libidinem fovent, certe miramur quomodo haec materia luxuriae per tot discrimina rerum de die in diem adhuc magis ingravescat, atque ex splendido palatio ad pauperum tabernas fracto et remoto omni impedimento migraverit. Videtur mos hic perniciosus cum potibus Spirituosis parem passum tenere, unumque vitium alteri amicas praebuisse manus.

Cum commercio — *Cigarro* — variae adhuc fraudes exercentur. Praescidendo a fraudulenta alterius specici vilioris subsitutione, adhuc memorare convenit quod fabricatores cylindrorum eo imprimis intenti sint, ut cigarro suo pulchram concilient formam, et colorem, ideo folium externum internam vilissimam et corruptam nicotianae speciem obtecens, melioris eligunt qualitatis. Haec fraus facile innotescit, si cigarro in parenchymate disquiratur.

Si itaque verba mea ad consvetudinem fumatorum inveteratorum mutandam parum valuerint, adminus juventus in frangendas, exuendasque consvetudines sibi magis potens, dicta mea attentioribus excipiat auribus, fumoque huic fuco venenato, evolutionem physciam et psychicam restringenti facultates mentis obfuscanti, oculorum aciem hebetanti valedicat. —

THESES.

1. Purgantium actio se habet ad intestina, siculi emeticorum ad ventriculum. —
2. Non qua salacior femina eo foecundior.
3. In multis morbis non medicina sed medicus sanat
4. Omne systema absit a medicina, sed sine philosophia nemo medicus.
5. Nihil magis obstat praxi medicae, quam inobediĕntia aegrorum, diversitas theoriarum, et discordia collegarum. —
6. Scientia medica a tempore Hipocratis ingentes fecit progressus, an in arte pari passu processerit, sub judice est lis.
7. Natura sanat, medicus curat, hinc multi sanantur male curati.
8. Medici sola theoria abrepti morbos construunt, aegros vero destruunt. —
9. Medicum multa scire, plurima audire, paucal oqui oportet. —
10. In aqua frigida universalem quaerere medicinam summe erroneum est.
11. Fumatio brevi post pastum eo digestionem adjuvat, quod secretionem salivae promovet. —